

Quæstio autem hic tantum est de adhæsione *appretiativa*, et super omnia ea quæ repugnant Deo, ut objecto formali actuum theologicorum.

36. *Dico.* Est de ratione virtutis theologicæ, ut adhæreat *appretiative* Deo super omnia repugnantia illi prædicato divino, quod est objectum formale quod actus theologici.

Prob. Sicut de ratione cujuslibet virtutis est adhærere suo objecto tantum, quantum ipsum meretur; sic multo magis de ratione virtutis theologicæ, utpote per quam homo perfecte unitur Deo, erit adhærere Deo, quantum meretur, decet ac oportet. Sed ex terminis videtur notum quod Deus, qui est sæpius objectum materiale, semper autem objectum formale quod, mereatur præferri omnibus repugnantibus: vel quod non adhæreat Deo, quantum oportet ac decet, si quis ei non adhæreat præ aliis omnibus, nempe in fide auctoritati divinæ, præ omni auctoritate alia vel naturali ratione repugnante; in spe omnipotentis, misericordiæ et fidelitati divinæ in promissis, præ quacumque specie in contrarium; in charitate divinæ bonitati, præ bonitate omni finita impossibili cum Dei dilectione.

Si ais 1º. Sæpe eliciuntur actus theologici sine actuali advertentia ad motiva contraria; ergo super ea non *appretiant* suum motivum. 2º. Actus virtutis theologicæ stare potest cum peccato veniali opposito; ergo non præfert Deum omnibus contrariis. 3º. Habens fidem ac spem potest esse peccator habitualis, et etiam in sensu composito illarum virtutum peccare mortaliter: sed mortaliter peccans non adhæret Deo *super omnia*; ergo.

Ad 1ºm. R. D. *Cons.* Non *appretiant* formaliter et explicite C. virtualiter et implicite N. Nempe *appretiatio* stat in adhæsione ad Deum, vi cuius quis reddatur promptus ad rejicienda cætera omnia pro retinendo Deo secundum illud prædicatum, quod est objectum formale. Ad hoc vero explicitam fieri comparationem Dei cum creaturis non est necesse.

Ad 2ºm. R. D. *Cons.* Non præfert omnibus graviter et simpliciter contrariis N. leviter et secundum quid tantum contrariis T. De hoc enim V. Tr. de Peccat. ac præterea ex D. THOMA notandum, peccatum veniale non esse contra sed præter finem ultimum.

Ad 3ºm. R. D. M. Habens fidem ac spem potest peccare mortaliter, etiam in sensu composito, peccato illis virtutibus directe opposito, uti sunt infidelitas, desperatio ac præsumptio N. non directe illis opposito C. Similiter D. m. Non adhæret Deo super omnia ejus prædicatis, motivum fidei et spei constituentibus, directe opposita N. non adhæret super omnia non opposita C. Mortalia alia, v. g. homicidium aut adulterium, licet a credente ac sperante committantur, aut iis antea commissis quis necdum veniam illorum sit consecutus, ideoque peccator habitualis maneat, potest tamen nihil tam verum credere, quam quod Deus revelavit; nihil tam firmiter sperare, quam quod ille promisit. Soli enim charitati contrariantur omnia peccata mortalia; unde et hæc *simpliciter* dicitur ferri in Deum super omnia, quia hæc adhæret Deo super omnia in sensu *absoluto*; fides et spes autem tantum in sensu *accommodo*, nempe super omnia sibi suoque motivo directe et graviter opposita. Neque tamen charitas in sensu *absoluto*, fides aut spes in sensu *accommodo* impeccabilem hominem reddit; cum omnis virtus theologica possit amitti per peccatum directe oppositum, utpote quæ homini libertatem relinquit

ponendi peccatum oppositum in sensu diviso, quem ipse homo facere potest: fides autem et spes etiam relinquit libertatem peccata alia ponendi in sensu composito; quia non per quodvis peccatum, sed per directe tantum oppositum amittitur.

ARTICULUS II.

QUÆ ET QUOT SINT VIRTUTES THEOLOGICÆ?

37. *Nota.* Quæstio est de numero virtutum theologicarum, quæ sunt propriæ *viatoribus* et communes *omnibus*. Lumen enim gloriæ, quæ succedit fidei, gaudium ac quies in Deo, quæ spei substituitur, virtutes esse theologicæ, præter charitatem quæ nunquam excidit, Beatis in cælo proprias nemo ambigit. An etiam viatoribus quibusdam, præsertim eximie sanctis, præter ordinariam hujus providentiæ legem, dentur aliquæ virtutes theologicæ a communibus distinctæ, incertum est, nec disputamus. Universalis Theologorum sententia ternarium numerum statuit. Olim tamen MAGISTER SENTENTIARUM, quia charitatem dixerat esse indistinctam a Spiritu sancto, non nisi duas virtutes theologicæ agnovit: Alii, cum unam duntaxat virtutem theologicam sufficere omnibus actibus contenderent, non nisi unam etiam asserere videri poterant; cum alii e contrario in numero virtutum theologicarum augendo excessisse reperiantur.

38. *Dico.* Fides, Spes, et Charitas sunt virtutes theologicæ, inter se *realiter* distinctæ, non nisi tres.

Videtur erui ex 1. ad Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Nam 1º. loquitur Apostolus de illis ut permanentibus; ergo non de actibus sed virtutibus fidei, spei etc. 2º. A vers. 8. ostendit charitatis præcellentiam, ex eo quod etiam permaneat in cælo, cum fides ibi mutanda sit in visionem, et spes in fruitionem; sicut ergo charitas in cælo, visio item et fruitio sunt virtutes theologicæ *Beatorum*, sic charitas in terra, fides et spes sunt virtutes theologicæ *viatorum*. 3º. Voces hæc: *tria hæc*, uti et *majoritas* charitatis satis innuunt distinctionem virtutum inter se. 4º. Denique, cum Apostolus signate numerum ternarium enuntiet, neque etiam ratio adsit dicendi Apostolum cum diminutione fuisse locutum; nec pauciores nec plures virtutes theologicæ, quam illæ tres, asserendæ videntur.

Prob. 1ª. pars. Fides, spes, et charitas habent omnia prædicata, quæ ad virtutem theologicam requiruntur, ut ex notione illorum habituum et virtutis theologicæ manifestum est; ergo.

Prob. 2ª. pars. Charitas cap. cit. manet in patria sine fide: fides et spes in peccatoribus manent sine charitate: fides tanquam *sperandarum substantia rerum* est fundamentum spei; ergo ubique inter has virtutes realis intercedit distinctio, fundata in separabilitate ac prioritate, tanquam evidentibus signis.

Prob. 3ª. pars. Ut in Deum tanquam finem supernaturalem tendamus, *tria* requiruntur: Primum est, ut quis ipsum supernaturaliter cognoscat, quod fit per fidem; unde et ad Hebr. 11. 6. *Oportet accedentem ad Deum credere.* Secundum est, ut eundem finem efficaciter intendat, quod fit per

spem, juxta illud ad Rom. 8. 23. *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes... spe enim salvi facti sumus. Tertium est, ut cum ipso per affectum conjungatur, quod fit per charitatem, teste 1. Joan. 4. 16. Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Ergo pauciores non sunt, quam tres. Sed nec sunt plures; nam non potest ulla actio theologica afferri, quæ ad unam ex tribus assignatis nequeat referri; actus siquidem intellectus circa Deum sub ratione veri, refertur ad *fidem*: actus voluntatis circa Deum sub ratione nobis boni, reducitur ad *spem*: idem actus circa Deum sub ratione in se boni, ad *charitatem* pertinet.

39. *Obj. cont. 1^{am}. part. 1^o.* Fides, qua creditur homini, et spes, qua promissa humana expectantur, non referuntur inter virtutes *morales*, licet rectæ rationi conforme sit, et viris fide dignis credere, et a fidelibus ac potentibus promissa sperare; ergo nec fides, qua Deo creditur, nec spes, qua Dei promissa expectantur, dicendæ sunt virtutes *theologicæ*. 2^o. Ex 1. Joan. 4. Charitas Deus est, et ex Deo; ergo charitas non est virtus, sed Spiritus sanctus, qui et Deus et ex Deo est.

Ad 1^{am}. R. Disparitas est, quia fides et spes *humana* ob imperfectionem sui motivi communius non sunt virtutes; auctoritas enim humana, qua fides illa unice nititur, multum fallibilis est et obnoxia errori, qui malum est intellectus: actus vero spei humanæ præterea indifferens est ad bonitatem vel malitiam moralem, cum promissa ab homine bona, in quantum ab eo proveniunt, plerumque rectius spernantur, quam desiderentur; unde honestas, quæ fidei ac spei humanæ interdum inesse potest, non adest illis ex se, sed solum ex ordinatione extrinseca ad finem alterius honestatis. Aliter res se habet in fide et spe *theologica*, quarum illa infinitæ Dei sapientiæ ac veracitati, hæc bonitati ejus ac beneficentiæ innititur; unde periculum abest ne intellectus assensiones non sint certissimæ, aut voluntatis desideria non optima ac honestissima.

Ad 2^{am}. R. D. Cons. Ergo charitas qua Deus diligit, essentialiter est Deus et notionaliter Spiritus sanctus, non autem virtus *C*. Charitas qua nos Deum diligimus, sumpta pro habitu non est virtus *N*. De hac intelligitur juxta Trid. Sess. 6. c. 7. illud ad Rom. 5. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum*, nempe diffusa a Spiritu sancto, sicut lux diffusa a lampade lucem diffundente.

Inst. Juxta S. Aug. charitas dicitur Deus, nosque dicimur diligere Deum charitate, quæ Deus est. Item Deus dicitur charitas, non eo sensu quo dicitur spes aut patientia nostra, sed quo sensu dicitur spiritus. Sed Deus identice est spiritus; ergo simili modo est charitas: consequenter hæc non est virtus.

R. Has et similes locutiones occasionem dedisse errori *MAGISTRI SENTENTIARUM*, qui hanc phrasin metonymicam pro sensu proprio accepit. *AGGUSTINUS* enim more *Platoniorum*, quorum sectam ante conversionem susceperat, dicebat nos esse bonos bonitate Dei, amare amore Dei etc., intelligendo duntaxat, bonitatem, amorem, et ejusmodi prædicata, quibus sumus formaliter boni, amantes etc., esse participationem quamdam bonitatis et amoris divini, seu rem ab illis participatam. Hinc

Ad 1^{am}. D. Charitas nostra, et qua Deum amamus, est formaliter Deus *N*. Originaliter, causaliter et participative est ipse Deus *C*.

Ad 2^{am}. Disparitas est, quia Deus proprie et formaliter non est spes vel patientia per identitatem, cum nec sperare possit nec pati; hinc nequit in sensu *AGGUSTINI* vocari spes nostra aut patientia nostra: neque etiam spes aut patientia, quæ est in nobis, potest dici Deus, scilicet per participationem spei aut patientiæ, quæ in Deo et Deus sit. E contra Deus dici potest charitas nostra; quia sicut Deus essentialiter est spiritus, sic essentialiter etiam ac notionaliter est charitas. Unde *D. M. ut sup.* Cæterum charitatis divinæ tam actum quam habitum esse distinctum a Deo, docet S. Aug. pluribus in locis, quorum duo hic interim sufficiant. Sic enim L. 3. de doct. Christ. c. 10. n. 16. *Charitatem, inquit, voco animi motum ad fruendum Deo propter ipsum; et se atque proximo propter Deum.* Et L. 1. de mor. Eccles. c. 11. n. 19. *Virtus illa (charitas) quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est, si in alio est, facit ut jungamur Deo; si in nobis est, ipsa conjungit.*

40. *Obj. cont. 2^{am}. part.* Fides, spes, et charitas habent unum, simplex et indivisibile objectum, nempe Deum; ergo et una virtus sunt. *Conf. 1.* Omnes perfectiones divinæ conveniunt sub una ratione Divinitatis; ergo virtutes theologice habent unicam tantum rationem formalem, ac consequenter indistinctæ sunt. *Conf. 2.* Sufficit unica virtus theologica, quæ perficiat intellectum; ergo et unica, quæ voluntatem, præsertim cum et unica potentia, nempe voluntas, possit attingere Deum et ut in se et ut nobis bonum.

R. D. A. Habent objectum realiter unum, simplex et indivisibile *C*. realiter et virtualiter etiam ac formaliter unum et simplex *N*. Formaliter autem diversa est ratio quam attingit fides, ab ea quam attingit spes aut charitas: idem est dicendum de postremis.

Ad Conf. 1^{am}. D. Cons. Ergo habent unicam tantum rationem formalem genericam et specificam *N*. Ratio quidem motivi divini facit commune omnibus nomen et esse *theologicæ*, non autem esse hujus actus vel habitus; unde cum aliud motivum sit auctoritas, aliud bonitas vel absoluta vel relativa, etiam alius consequitur actus et habitus seu virtus.

Ad Conf. 2^{am}. N. Cons. ex modo dictis; quia motivum assentiendi habetur unicum; motivum autem appetendi vel amandi duplex, bonitas nempe Dei respectiva et absoluta. *Ad prob. Disparitas est,* quia potentia, utpote ad bona etiam naturalia se porrigens, latius omnino patet quam habitus: ac propterea separari a se ipsa nequit, ut tamen de habitu charitatis ac spei certum est. Cæterum de modo agendi connaturali atque ex *SCRIPTURIS* et *TRADITIONE* cognito hic loquimur; unde nostrum non est dispicere, num unus habitus absolute et simpliciter sufficere possit pro actibus theologice omnibus eliciendis.

41. *Obj. cont. 3^{am}. part.* Perfectiones divinæ formaliter distinctæ plures sunt quam tres; ergo et plures, imo tot erunt virtutes theologice, quot sunt perfectiones divinæ. *Conf. 1.* Virtutes morales, licet pro objecto formali tantum habeant perfectionem creatam moralem, sunt tamen *tribus* plures; ergo, cum major sit perfectionum divinarum formaliter distinctarum numerus, plures quoque sunt theologice. *Conf. 2.* Ad actum fidei requisita pia affectio et judicium credibilitatis procedunt ab habitibus theologice; ergo hoc ipso emergunt plures virtutes theologice; præsertim

cum duplex videatur statuenda virtus pro intellectu, sicut duplex adest voluntati.

R. D. A. Plures sunt perfectiones divinæ, quæ etiam totidem speciales rationes movendi intellectum et voluntatem habeant N. quæ non habeant nisi tres jam sæpius assignatas C.

Ad Conf. 1^{am}. R. Eadem *disparitas* est, quia virtutum *moralium* motiva non conveniunt in eadem speciali ratione movendi; cum alia specialis honestas reluceat v. g. in conformatione voluntatis subditi cum voluntate superioris, quam in conservatione v. g. vel reparatione juris alieni, ex quibus obedientiam a justitia distinguimus. Accedit, quod virtutes per se infusæ, quales sunt theologicæ, habeant se per modum *potentiæ*; unde et ad hujus exemplum majorem latitudinem capere possunt; cum acquisitæ aut per accidens infusæ, quales sunt morales, id muneris non obtineant.

Ad Conf. 2^{am}. R. N. A. Pia enim affectio immediate et directe non respicit Deum, sed honestatem credendi Deo revelanti; iudicium autem credibilitatis naturale esse potest, nec perfectionem increatam attingit. Ad prob. *Disparitas* est, quod circa verum intellectus non possit per virtutem versari nisi assentiendo; assensus autem circa supernaturalia nequeat haberi nisi per fidem vel formalem vel objectivam, quarum postrema ex dictis theologica non est. Voluntas vero circa bonum duplici ratione, bonitati scilicet absolutæ et respectivæ congruente occupatur, ad quarum unam reliquæ actiones quæcumque tanquam partes subjectivæ referri possunt.

QUÆRES: Quæ sit fidei proprie huc pertinentis notio?

42. Nota. Minus varia, minusque disputationi subjecta est spei ac charitatis acceptio, quam usurpatio fidei. Apud Scriptores profanos fides latius sumitur pro quacumque opinione aut persuasione, et hinc dicitur *oratio apta ad faciendam fidem*; a Scriptoribus etiam sacris multipliciter usurpatur. Nam 1^o. sumitur pro dictamine conscientiæ, seu practico de rebus agendis iudicio, uti ad Rom. 14. 23. *Quod non est ex fide, peccatum est.* 2^o. Pro fidelitate, quæ est virtus ad voluntatem pertinens, cui præbet constantiam in servandis promissis et implendis pactis, juxta illud Levit. 6. 2. *Qui negaverit proximo suo depositum, quod fidei ejus est creditum* etc. Et Eccl. 27. 17. *Qui denudat arcana amici sui, fidem perdit.* 3^o. Pro fiducia; uti accipitur in Jac. 1. 6. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Hæc porro fides ex ipsa Hæreticorum doctrina non ad intellectum sed ad voluntatem pertinet, ac *fides promissionum* appellatur; estque vel confidentia firma de promissis jam obtentis, vel firma spes de eis obtinendis: unde fiducia supra erroneam credulitatem nixa conjungitur cum spe, Job. 8. 14. *Spes hypocritæ peribit, et sicut tela aranearum fiducia ejus.* 4^o. Pro veracitate, quæ etiam est virtus moralis voluntatem inclinans, ut, quando aliis loquendum est, verba vel signa externa conformet interno iudicio. Hoc sensu de Judæis Jerem. 7. 28. *Periit, inquit, fides de ore eorum.* Et a contrario Christus Apoc. 19. 11. *Vocabatur fidelis et verax.* 5^o. Pro objecto credendo; ut Apoc. 2. 13. *Non negasti fidem meam.* Et in Symbolo Athanasii dicitur: *Hæc est fides Catholica* etc. 6^o. Denique pro assensu intellectuali propter auctoritatem aut veracitatem loquentis sive attestantis, uti sumitur ad Hebr. 11. 3. *Fide intelli-*

gimus aptata esse secula verbo Dei. Atque hoc sensu profanis Scriptoribus etiam maxime usitatum est vocabulum, dum dicunt *alteri vel alterius dictis fidem haberi.* Non equidem disputamus quænam ex his usurpatio magis propria et primaria sit; sed quænam conveniat illi, quæ ad justificationem et salutem in Scripturis asseritur necessaria, et de qua sola hoc Tractatu agitur. Heterodoxi per fidem hanc intelligendam putant *fiduciam*; Catholici contra assensum intellectualem, et ab illa voluntatem perficiente virtute distinctum.

43. Dico. Fides ad justificationem et salutem requisita debet esse assensus intellectualis, libere elicitus, et veritati revelatæ præstitus propter auctoritatem Dei revelantis.

Prob. Postquam Apostolus in fine c. 10. ad Hebr. dixisset, justum ex fide vivere: et pro eadem Hebræos multa pertulisse, sic fidem definit aut describit c. 11. v. 1. *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium.* Græce: *ἔστι δὲ πίστις ἐπιζωμένων ὑπόστασις πραγμάτων ἔλεγγος οὐ θεωρούμενων.* Ubi *ὑπόστασις* si sumatur pro *substantia*, significat fundamentum et basin rerum sperandarum; sicut substantia idem dicitur, ac quod substat accidentibus, eaque sustentat: si vero sumatur pro *subsistentia* et *existentia*, denotat fidem facere, ut illa, quæ nondum existunt et sperantur, ob certitudinem fidei quasi subsistentiam accipiant in intellectu et mente fidelium; quemadmodum insinuat Apostolus ibid. v. 27. *Hæc fide Moyses invisibilem tanquam videns sustinuit.* Ἐλεγγος autem idem est ac demonstratio et convictio, ut ex *Aristotelis* inscriptione de sophisticis Elenchis, et S. Aug. L. 13. de Trin. c. 1. aliisque patet; quod ideo dicitur de fide divina, quia quæ fide divina credimus, multo magis certiusque nobis sunt persuasa, quam quæ sensu, ratione ac demonstratione nobis persuadentur. Jam vero ex terminis liquet, fundamentum sperandarum rerum, vel etiam sperantium, ut legit S. AUGUSTINUS, esse distinctum a spe et fiducia; subsistentiam rerum in intellectu, demonstrationem, convictionem et persuasionem ad potentiam cognoscitivam ejusque assensum spectare. Ergo *fides*, de qua hic est sermo, quæque ad salutem conducit, ad intellectum pertinet; maxime cum Apost. mox v. 3. subjiciat: *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.*

Conf. 1. Plures sunt textus fidei salutaris mentionem facientes, qui adeo manifeste eam ad intellectus actum referunt, ut non nisi ineptissime de fiducia intelligantur. Sufficiant aliquot ex epist. ad Rom. ubi c. 4. v. 20. et 21. *Abraham confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est facere.* Item c. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Et infra: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* etc.

Conf. 2. Fides manifeste in Scriptura sæpius distinguitur a fiducia seu spe roborata, 1. ad Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc:* ad Eph. 3. 12. *In quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem* etc.; spes aut fiducia asseritur fundari in fide, non autem esse ipsa fides.

Ex his colligitur, *fidem habituales* esse virtutes theologicæ, quæ elevat et disponit intellectum ad firmissimum, licet non evidentem; assensum veritatibus a Deo revelatis præbendum, propter auctoritatem Dei loquentis.